

Bibliothèque numérique

medic@

**Lassone, Joseph-Marie-François de -
candidat / Le Monnier,
Louis-Guillaume - président. - An in
Macilentis liberior quàm Obesis
Circulatio ?**

1740.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2329 n°3***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax08x0003](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax08x0003)



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis primâ
Decembris M. DCC. XL.*

M. LUDOVICO-GUILLELMO LE MONNIER,
Doctore Medico, Præsîde.

An in Macilentis liberior quàm in Obesis Circulatio?

I.



ARI Sanguinis circulationem, seu motum, quo virale fluidum à corde, tanquam à centro, ad singula Peripheriæ puncta distribuitur per arterias, atque, ab illis continuò per venas, traducitur ad Cor, nemo nescit. Hujus autem circulationis de nomine, certam cruoris copiam, eamque constanter pari, aut saltèm parum differenti, ratione, ad singulas partes, quamdiù viget sanitas, derivari, nemo

A

pariter ignorat ; atque etiam quamlibet sanguinis particulam, in eodem sanitatis statu, æquali temporis intervallo, si indestructibilis illa fingeretur, periodos suas absolvendam esse, unusquisque vel leviter attendens, concedet. Ratio autem quâ omnes particulae Orbem suum circumscribunt, circulationis naturam determinat ; si itaque, breviori temporis intervallo, tota cruoris massa per meatus omnes trajecta fuerit, aut eò, undè profecta est, citius fuerit reversa, tunc promptior vel liberior dicetur circulatio ; si longiori, impedita magis aut difficilior existet.

I I.

ARDUUM Circulationis opus in vanum non molitur Natura, torrente quasi vivifico, universas alluit corporis partes, pluribusque locis fluida diversæ indolis, diversique momenti deponit, pretiosa, necessaria, utilia, superflua, pleraque novi sanguinis mox mox ad easdem plagas defluxuri germina. Hæc à Sanguine primo aspectu simplicissimo, analysi maximè composito, apparatu valdè diligenti secernit ; illorum copia atque indoles laudabilis, Circulationis libertatem manifestè demonstrant ; neque obscurius elucet, quomodo periodorum celeritas & in copiam & in qualitatem secretionum influat. Dum Sanguis celeri per canales cursu rapitur, atque frequentius nova cruoris moles secretoriis organis allabatur, & ipse tenuior, velociori illo fluxu evadit, simul & fluidior, imo materie secernendæ divitior ; uno verbo in statu sano, circulatio, copiaque secretorum inter se librantur, alterutra aliam designat.

I I I.

QUANTUM homines ad eandem normam à naturâ fuerint efformati, atque omnium corpus, extet machinâ iisdem planè superstructa fundamentis, similique modulo conflata, frustra tamen in immenso harum numero duas absolute similes invenire conaberis ; tantaque fuit in hoc puncto sagacissimi Opificis industria, ut dubius hæreas, an magis hunc in delicatissimam excogitando perficiendove machinam, mirabere, quàm in mille alias maximè differentes, maximè tamen perfectas, eadem arte condendo. Has varietates per classes in genere dispositas, temperamenti cognomine nonnulli designarunt ; horum unumquodque suum habet contrarium ac oppositum. Sic alii dicuntur Obesi, Maci ;

3
lentos appellant alios. Quid Obesitas? Quid Macies? & quomodo inter se differant cognoscere quàm definire facilius est. Descriptionem itaque superfluum, perpolitam concinnatam verbis, Obesorum sphaericitatem, succulentiam, floresque extenso habitu diffusos: macilentorum contractionem, robustamque siccitatem, vivis depingentem coloribus, ad scopum properans, pratermittere diètitat animus. Quas tamen in utriusque temperiei subjectis differentias observet Medicus, referre plurimùm interest. Omnium musculos inter & cutim, sternitur membrana cellularis, adiposa pluribus irrigata vasis, arteriis, venis, lymphaticis, cellulis tandem oleosis ornata; valdè dilatabilis est & in omnem dimensionem excrecere potens; in Obesibus dilatata, in Macilentis contracta deprehenditur; hæc humorem oleosum, lentum, blandum à sanguine per arterias, in appensos folliculos, secernit, collectaque intrà cellulas pinguedo, ibidem stagnat donec debitos diffundatur in usus; inter stagnandum paulùm concrevit humor, neque illum absolutè fluidum, neque solidum omninò (ut in brutis quandoque) judicares. Vocatur nomine recepto *Adeps*; hæc in Macilentis ferè deficit, in Obesibus abundat ubique; viscera pleraque circumvestit, hæc involvitur Ventriculus, cinguntur Intestina, atque tanquam molli pulvinare supersedent Renes, celatur Pancreas, naturæque suæ prætenue, adiposis appendicibus, ac veluti fimbriis ornatum se prodit Omentum. Per cellularum, numero prope infinitarum, parietes, utriusque generis vasa repunt sanguifera, eaque capillaria, diametri propter exiguitatem indefinita, intorta, in mille giros circumvoluta, serpentia, retiformia, iteratâ tandem anastomosi, in se invicem hiantia. Quantum porro sit horum numerus; Quot ambages; Quanta sanguini percurrenda spatia; percipias velim, si possis; in Macilentis pleraque hæc obturantur vasa, aut saltem introitum sanguini, parietes sibi invicem insistentes, recusant. Præterea in Obesibus sanguinis sinceri copia minor reperitur, lymphâ tamen abundantiori; in Macilentis verò profundius rubens, particulis fibrosis, majorique spirituum quantitate dives, uno verbo sanguinem optimè representans. Ad hæc universaliter, fibra quælibet macilentorum, robustior, rigidior, virtute elasticâ majori prædita observatur; undè in iisdem, muscoli carnosissimi, rubicundi, fortes apparent, in Obesibus è contrario, molles, delicatissimi, graciles, palleſcentes, & multâ quasi pinguedine impediti cernuntur. Hinc etiam in vasorum texturâ, eadem quæ in musculis observatur, proportio, ar-

A ij

4

terius præsertim, Obesorum tenuioribus, angustioribus, atque in immensum capillarium numerum finientibus; neque mirum amplius, si in Macilentis citius absolvantur periodi.

I V.

S*I mobilia duo pari cum velocitate, circulos quosdam describant, tempora quibus integram absolvunt periodum, eandem inter se rationem obtinent ac decurrenda spatia, seu circumferentia circulorum. Hoc est in sua periodo majus illud impendit temporis interval- lum, cui etiam spatium majus emetiendum est. Majus in Obesis quam in macilentis percurrendum esse spatium, primo intuitu vel rudissimâ saltem institutâ comparatione, quis non videt? Hâc itaque de ratione minoris spatii, citius suas absolver periodos sanguis macilentorum. Verum si ex mobili majus spatium emetiente subtrahatur adhuc aliqua velocitas, vel si etiam remanente hujus præpositâ velocitate, ipsamet alterius intendatur, ita ut cum isto velocitatis incremento minimum percurrat insuper spatium, iteratâ de ratione crescat temporum in absolvendis periodis differentia. Sanguinis Obesorum velocitatem imminui, crescere verò in macilentis, multiplicia evincunt argumenta, tum ex naturâ sanguinis utriusque temperiei subjectorum, tum ex vasorum fabricâ & dispositione mutuata. Ac primò pinguior atque tenacior in Obesis deprehenditur sanguis; oleosa permulta, purpureis continuo admisceri globulis atque unâ intrâ canales devolvi, ipsius pinguedinis in cellulari membranâ, continua secretio, frequentes ponderis imminutiones & augmenta, adipis plurimæ interdum liquefactæ exhalationes, vel exhalatæ reparationes subitanæ; consistentiæ tandem varietates, in Obesis frequentissimæ, demonstrant. Quomodo autem sanguis istiusmodi scatens particulis, sese ut ita dicam invicem attrahentibus, parietibus vasorum cohærentibus, lentorem concipere possit, atque interfluendum retardari, per se satis manifestum. Crescente in Obesis capillarium numero, crescat quoque lymphaticorum, ereptaque lymphâ à sanguineâ molis, truncorumque majorum tumultu, intrâ destinatos devoluta canaliculos, placido fluxu per totam corporis habitudinem diffundetur, neque tam uberiori copiâ, sub formâ perspirabilis materiæ, ad auras evanescet; undè hujus, quam observant apud Obesos Medici, abundantia; quæ dum per sua vasa quietè pensum accurabit, novam afferet circulationi moram. Sed neque solum, lentam ob-*

sanguinis Obesorum indolem, retardatur eorum in vasis velocitas; obstantes undèquâque obices, longè alias ipsimoras inficiant. Dum ad singula periphæriæ puncta fluit à corde per arterias, fluit quidem cum determinato sanguis impetu. Quâ proportionè recedit à corde, eâdem aut sanè majori acceptum hunc impendit impetum. In obliqua vasorum conicorum latera arietans, aliquam de suo motu continuò perdit portiunculam, eoque majorem, quò magis à Cylindricâ recedit illorum figura; hinc elucet ratio velocitatis imminutæ ad arteriarum extrema; sed graviori de causâ ad prædictos fines sanguinis retardatur velocitas: qui globulus vasorum majorum latera uno tantum suæ superficiei puncto pertingebat, certam, exiguam licet, experiebatur resistantiam; verum canali angustiori facto majorem ac majorem concipit renixum, prout multiplicantur contactus puncta. Hinc quò plura sunt ad arteriarum fines capillaria, quò longiori spatio producta, item quò contorta magis, reticularive plexu contexta, eò minor erit intromissi fluidi velocitas. In Obesibus crescere numerum capillarium, longiora ea esse, multiplices inveniri anfractus, giros, plexus, anastomoses, ex antecedente cellularum oleosarum expositione patet; undè nova rursus in ipsis velocitatis imminutæ ratio. Atque hætenus sanguinis per Obesorum & macilentorum vasa circumacti, velocitatum differentias, duplici de fonte (vasorum scilicet & sanguinis) scaturire compertum est; in his autem investigandis, æquali impetu à corde propelli purpureum laticem, in omnibus fuit præsuppositum. At si cum imminutâ (utroque vitio) velocitate, accedat insuper potentiæ motricis imbecillitas, in ratione potentiæ hujus imminutæ plus quàm triplicatâ, retardabitur iterum circulatio. Datur hæc in corde potentia motrix, & in arteriis, robustarum cordis fibrarum contractione, sanguis ad omnes corporis oras, per arterias distribuitur, atque cum accepto primùm hoc impetu, eò usque fluere pergit donec obstantia undique corpora motum hunc pro parte extinguant; impetu residuo sanguis arterias dilatat, quæ mox contrahuntur obice superato, sicque sanguinem antèrèus trudent, huic omni fere restituto, quem ab eò acceperant, impetu. Quò promptior cordis systole, quò plenior arteriarum dilatatio, profundiorque horum contractio eò majus sanguis concipit momentum; quò rigidiores fibræ eò celerius contrahuntur, & vice versâ. Hinc roboris potentiæ motricis argumenta, stricta admodum, minimèque laxa totius habitudinis compages, pulsusque magnitudo, vehementia, plenitudo, in Macilentis robur & rigiditas, pulsus plenus, magnus, vehemens,

6
in Obesis parvus, mollis, parum extensus, laxa demum fibrarum omnium compages observantur. Tandem in quibusdam functionibus deprehensa varietates, sponte sua tanquam, è liberiori apud macilentos circulatione, corollarium consequentes, novum hujus Theoriæ ministrant argumentum. Sic parcius & difficilius fluxu menstruo purgantur mulieres Obesæ: difficilius apud ipsas circuitu, debiliorique sanguinis momento, tum ex parte molis, tum præsertim ex parte velocitatis; contra in macilentis utpotè sanguine plurimum turgentibus, eoque velociori cursu circumactis, adeò abundantia reperiuntur menstrua, ut in nutricibus & prægnantibus macilentis, nonnunquam reperiuntur; sic uberiores in macilentis perspirationem observat Sanctorius, sanguine in Obesis multo lentiori. Sic macilentos alacriores, ad venerem promptiores, exercitiis, vigiliisque ferendis, robustiores; Obesos vero tardos, molles, ignavos, ad somnum proclives ubicunque reperias; majori in illis secretâ spirituum, seminis, aliorumque humorum copiâ, quam semper ex mole & velocitate sanguinis deducendam esse, constat.

V.

ATQUE jam variis validioribusque rationum momentis, datâ liberiores in macilentis, quam in Obesis, sanguinis circuitum, sufficienter demonstratum est. Restat ut hujus assertionis vires & usus in praxi (sine quibus omnis speculatio vanitas) paucis expendamus, ipsiusque experientiæ authoritas Theoriam confirmet. Si unquam alicubi emicat Medici sagacitas & industria, certè in sanguinis missione tempestivè celebrandâ. Quæ quidem felicissimo prævisoque successu tentata fuit, ex quo circulationis leges, & effectus, invictis demonstrarunt argumentis, in Mechanicis versatissimi aliquot Medici. Juxta regulas à *Laurentio Bellini*, primùm, & nitidissime positas, hæc in macilentorum & Obesorum sanguinis missione, potissimum veniunt observanda. Evacuationis effectus, quales esse solent refrigeratio, humectatio, sanguinis dimotio &c. multo sensibiliores, proficuius magis, in macilentis, expectandi sunt, eadem missâ cruoris copiâ, etiamsi majorem sanguinis quantitatem concipiant; cui vasorum dispositio, natura, numerus, proportio &c. magis erit cognita, huic magis arridebit præmissa conclusio. Ab eadem evacuatione facilius Obesis accedet animi deliquium: attamen in macilentis major erit absoluta virium immutatio. Similiter ex breviori spatio sanguini macilentorum emetiendo, ipsius majori velocitate, pariori numero capillarum,

longè promptiori certiorique cum eventu, à parte quâlibet Revulsionem sperari debere cuilibet attendenti patebit. Insuper si cum præcedentibus argumentis, diversam, quam habent trunci ad capillaria, capacitatis rationem, habeas conjunctam, felicius successuram ad quamcunque plagam corporis, sanguinis Derivationem, in macilentis, pariter manifestum. Quin generatim omnes effectus à simili sanguinis evacuatione consequentes, magis conspicuos in macilentis futuros esse, asserit observatio. Ex pinguiori atque oleosa sanguinis Obesorum indole, minori propensione ad concrendum, ex imminuto demùm ipsius, per capillarium obstacula, momento, diuturniores quidem, sed minùs periculosas, in Obesis inflammationes ad partes adiposas præsertim; diutiusque sperari posse morbi Resolutionem, multoties experti pro certo tenent Prædici. Verum absoluto resolutionis tempore, funestiores in Obesis hujus morbi sequelas, unanimi voce conclamant. Sic autem generaliter observant, morbos omnes acutâ, inflammatoriâ Febre stipatos, in macilentis multò frequentiores esse citiusque judicari, ut cum nostrâ Theoriâ (licet parum cuicunque speculationi confidentes) convenisse videantur. Pariter obstructions, tumores, congestiones, asthmata, hydropes, cachexiæ, morbique à serosâ colluvie provenientes, similiaque circulationis impedimenta, apud Obesos frequentius occurrunt; quæ quidem à momenti apud ipsos defectu, mirâ cum facilitate, deducuntur. Hinc quid Medico ad hujus speciei morborum curationem, animadvertendum sit, quisnam fieri debeat in eodem morbo, tum in Obesis, tum in macilentis debellando, medicamentorum delectus, non nisi ritè priùs intellectâ in utriusque temperiei vasis, circulatione, sine nubibus elucescet.

Ergò in macilentis liberior quàm in Obesis circulatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes Isoard.

M. Tassanus-Gilbertus Boulland.

M. Ludovicus - Joannes le Thieullier, Régis Consiliarius & in Majori Consilio Medicus ordinarius.

M. Bartholomæus Murry.

M. Gaspardus Cochon-Dupuy, in Arte Maritimâ Rupifortensi Anatomis & Chirurgiæ Professor Regius.

M. Nicolaus le Roy de Saint Aignan.

M. Carolus Payen, Chirurgiæ Gallico Idiomate Professor designatus.

M. Jacobus Franciscus Vandermonde.

M. Urbanus Leauté, Antiquior Scholæ Magister, Exdecanus & Academiæ Censor.

Proponebat Parisiis JOSEPHUS-MARIA-FRANCISCUS DE LA SONE, Carpentoracensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1740, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1740.